N:o 3 [illegible] N:o 1.

Q. F. F. Q. S.

DISSERTATIO HISTORICO-LITERARIA,

DE

POËTIS

IN

SVIO-GOTHIA LATINIS,

Cujus

PARTEM PRIOREM,

Indulgente Ampliss. Senatu Philosoph. in alma ad Upsaliam Academia,

Sub PRÆSIDIO

VIRI CELEBERRIMI,

MAG. JOHANNIS IHRE,

Eloq. & Polit. PROF. Reg. & Skytt. S.R. L. M.

Publicæ bonorum censuræ submittit

STIPENDIARIUS REGIUS,

JOHANNES A. WÅHLBERG,

UPLANDUS.

In Audit. Gust. Maj. d. 2. Maji,

AN. MDCCXXXIX.

Horis ante meridiem solitis.

UPSALIÆ impressa.

[illegible]

TRIGÆ FRATRUM
Generosissimorum Nobilissimorumque,
DOMINO
LUDOVICO
DE GEER,
Regio Cubiculario.
DOMINO
CAROLO
DE GEER,
&
DOMINO
ANTONIO
DE GEER,
Mæcenatibus Optimis.

QUOD.

EX. GENEROSISSIMIS. VESTRIS. NOMINIBUS.

MÆCENATES. OPTIMI.

PRÆSENS. DISSERTATIUNCULA.

LUCEM. AC. NITOREM. MUTUARE. SUSTINEAT.

FACILES. IGNOSCATIS.

SUPPLEX. ORO.

SVASIT. DICAM. AN. IMPERAVIT. HOC.

GRATIÆ. VESTRÆ.

AC.

BENEFICIORUM. SINGULARIUM.

MIHI. MEISQUE.

QUIBUS.

VESTRO. UTI. INDULGENTISSIMO. PATROCINIO.

JAM. DIU. LICET.

PRÆSTITORUM. VENERABUNDA. RECORDATIO.

CUI.

NIMIUM. MIHI. DEESSE. VIDERER.

NISI. HAC. OCCASIONE. DATA.

PUBLICE. TESTARER.

QUANTI. EA. FACIAM.

ET.

QUOAD

QUOAD. VIVAM. FACTURUS. SIM.

VOS.

VESTRÆ. TANTUMMODO. IN. NOS. GRATIÆ.

ADDITE. PERPETUITATEM.

EGO.

CUM. NIHIL. ALIUD. VALEAM.

CALIDISSIMA.

PRO. PERENNATURO. VESTRO. FLORE.

NUNCUPABO. VOTA.

Generosissimorum Nobilissimorumque Nominum VESTRORUM

Cliens devotissimus

JOH. A. WAHLBERG.

Plurimum Reverendo atque Præclarissimo

DOMINO,

Mag. BERNHARDO WAHLBERG/

Ecclesiæ, quæ Christo in *Fernebo Orientali* colligitur, PASTORI Laudatissimo,

FRATRI longe honoratissimo.

SI mihi blanda darent Sacrati Numina montis
Ore diserta loqui, Phœbumque æquare canendo,
Aut saltem illorum sectari posse lepores,
Quos mea jam celebres inducit pagina Vates;
Nunc certe esset opus, Tua quo, suavissime Frater,
Plurima commemorem benefacta & munera larga,
Me quibus immeritum cumulasti mente benigna,
Dum Patrio pro me gessisti pectore curas.
Ast mihi dicturo doleo nunc verba deesse,
Illa quibus digne referam: mihi namque videbor
Haud nimium dixisse, ultro si, Frater amande,
Multum confiteor tibi me debere salutis.
Et quoniam nec re, nec carmine solvere possim,
Semper ero votis pius & ditissimus ore,
Dignetur, qui sceptra tenet radiantis Olympi,
Incolumem in Pyliam te conservare senectam,
Omnigenoque bono semper mactare benigne.
Interea lætus, quos jam Tibi sacro, Poëtas
Adspice, quin etjam in solito persiste favore.

Carissimi FRATRIS

observantissimus cultor,
JOH. A. WAHLBERG.

VIRO-JUVENI

Moribus & eruditione Ornatissimo,

DN. JOHANNI WÅHLBERGIO,

De Poëtis Suio Gothiæ Latinis
egregie differenti.

WÅhlbergi, *spes Aonidum, quem non minus artes,*
Quam decorat pietas ingenuusque pudor.
Quemque suum pariter Charites doctæque Sorores,
Hæ studio ast illæ moribus, esse probant.
Jamne, quod optabam, gelido sub sidere natos,
Haud tepido monstras incaluisse DEO.
Nec solam Hesperiam Phœbo gaudere favente,
Aut habiles fidibus suppeditare manus.
Gratia Dîs, nostro salit & sub pectore vena,
Nec patrio torpent corda revincta gelu.
Cernitur heic terso Linschiöldius *ore sonare,*
Cernitur & nitidum verrere Polus *ebur.*
Aonia cecinit quod Bergenhielmius *arte,*
Ipse, puto, vellet dicere Naso suum.
Vos quoque Columbi, *vatum par nobile, docta*
Tuque Lagerlöfwî *suspiciende lyra;*
Cui vestros gustare sales contingit, eodem
Desumtos dicat, quo Cypris orta, mari.
I nunc, qui Boream justo frustraris honore,
Et Veneres ullas Arcton habere nega.
Cum Gothicis compone Tuos nunc, invide, vates,
Aut Phœbo jacta Te propiore frui.
Nulli Helices certe vidi nocuisse rigores,
Innumeris gravior Sirius esse solet.

festinanter applaudit
JOH. IHRE.


*** *** ***

SIstuntur jam conspectui Tuo, C. L. *Poëtæ* aliquot *Svio-Gothorum Latini*, non quo debuerunt, sed quo a me potuerunt, nitore collustrati. Requisiverat enim nobilitas hujus argumenti singulare ac Poëticis studiis, tum aptum tum adsvetum ingenium, quod tamen utrumque penes me desiderari, ingenue confiteor. Requisiverat etjam collectionem adcuratiorem carminum eorum: quam tamen in tanta eorum dispersione vix obtineri posse, saltem obtentu difficillimam esse, utut nulli pepercerim labori, satis expertus sum. Eorum, quæ habeo, non possum non, qua par est veneratione, agnoscere, me maximam partem acceptam referre debere favori ac benevolentiæ Archi Præpos. Lincop. Gravissi. Max. Rev. Doct. D:ni ANDREÆ O. RHYZELII, & Bibliothecarii Acad. hujus Amplissimi atque Celeberrimi D:ni ANDREÆ NORRELII, qui mihi facilem aditum ad *collectiones Palmskœldianas* concessit, nec non Registratoris in Archivo S:æ R:æ M:tis Regnique Sveciæ Inclutissimi, D:ni ANDREÆ ANT. STIERNMAN, qui, plurimis mihi literis datis, multa in hanc rem mecum benigne communicavit; Ut taceam, quæ Celeberrimus D:nus PRÆSES, tum ipse tum per alios huc maximo studio pro sua humanitate, contulit. Si quosdam autem, in priori hac parte ratione temporis commemorandos, ômisimus, eos posteriori, si DEO ita visum fuerit, inseremus, subjuncturi etjam catalogum, quomodo se invicem subsequi debeant, adcuratius indicaturum. Vale!

CONSPECTUS

PROOEMII.

CAP. PRIORIS.



PROOEMIUM.

§. I.



UI aliarum Nationum, ITALORUM, GALLORUM, SCOTORUM, BELGARUM, HUNGARORUM, ANGLORUM, GERMANORUM DANORUMque Poëticas delicias summa cum voluptate manibus teris, B L, nostratium Vatum, non nisi exiguæ molis *Prodromum* *a)* conspicis, dubius fortassis, gentisne incuriæ, an prudentiæ, honesto titulo penuriam suam occultanti, tam egregii operis intermissionem adscribendam esse existimare debeas. Vides etiam ADRIANUM BAILLETUM *b)*, dum mille & quingentos Poëtas Latinos variarum

A natio-

---

a) Editum Ups. 1722 laudatissima opera Viri Reverendiss. & Scarensium Antistitis Dn. Doct. PET. SCHYLLBERG Poës. tum Prof. Reg & Ord. Simile institutum fuisse Nobiliss. HERMELINI docet Holmia Literata *p. 70.* *b)* Jugemens des Savans *Tom. IV. p. 611.*

nationum recenset & expendit, de Poëtis Svecis nil nisi nudum titulum præferre. Vides JOACHIMUM FRIDERICUM FELLERUM c) Latinorum Vatum numerum inire adcuratum, nostræ nationis autem ne unum quidem nominare. Observas D. G. MORHOFIUM, quantumcunque nationi nostræ alias faverit, dum in Polyhistore suo ceteros omnium gentium Poëtas Latinos laudat, nostros sicco pede præterire. JOH. PETRI LOTICHII Bibliothecam Poëtarum consulis, sed nullas ibi nostrorum imagines vides. OLAUM BORRICHIUM septem dissertationibus d) in lucem publicam editis Poëtas Latinos recensuisse nosti, nostratibus etiam usque adeo non fuisse injurium, quin in scenam nonnullos Poëtarum Svecorum induxerit; e) sed hos dum propius examinas, tales esse judicaveris, ut versificatorum nomen vix tuiti fuerint. Taceo LILIUM GREG. GYRALDUM, PETRUM CRINITUM & innumeros alios, qui vel data opera, vel etiam de Poëtis carptim tractarunt. Tu itaque, B. L, quid dicendum putas?

Tamne aversus equos Gothico Sol vertit ab orbe,

ut nulla septentrionales hæ plagæ educent Poëtica ingenia, & de Svecia nostra verum sit, quod de finitima Germania cecinit JOHANNES ANTONIUS CAMPANUS, Aprutini in Italia Episcopus? f)

Nec faciles hederas, nec opacas frigida laurus
Terra gerit. - - - - -

§. II.

Sunt quidem quamplurimi, qui septentrionalium inge-

c) *In monumentis ineditis.* d) *Hæ Dissertationes multa eruditione refertæ, & junctim editæ Francofurti A:o 1683 in 4:to, primam huic opellæ ansam dedere.* e) *Dissertat. ult. p. 163.* f) *Epist. p. 333.*

ingenia tardiora venamque rigidiorem esse criminantur, quam ut ex eorum penu egregii quidquam proferri queat. Et in ea etiam opinione jam sua ætate fuisse ARISTOTELEM, acutissimum alias Poëtarum censorem, ejus scripta evincunt *a*). Sed nescio sane, quid in suæ sententiæ robur hi viri adducere valeant. Nam si cæli genium, & ambientis aëris naturam consideramus, ille heic perquam tenuis deprehenditur, adeoque, si judicio CICERONIS niti velimus, ejusdem aëris puritati acceptum referenti, quod Athenienses aliis acutiores essent *b*), secundum nostrates sententia omnino pronuncianda erit. Nec video, quid ex frigoris inclementia Svecorum ingenia præ ceteris detrimenti capere possint, quum alia omnia credere jubeant, quos in ceteris scientiis fecere maximi progressus, & in hoc etjam studiorum genere non solum finitimi DANI LÆTIS, BORRICHIIS, BERINGIIS ceterisque non inficiandorum nominum Poëtis superbiant, sed apud PANNONAS etiam SARBIEVIUS BUCHANANO, immo ipsi HORATIO dubiam palmam reddere quibusdam censeatur *c*). Non itaque credibile videtur, solam nostram patriam natura usam fuisse noverca, & ipsa Boeotia, quæ tamen Pindari cunas vidit, infeliciorem. Et si ipsam nobis adversari naturam, si nostra ingenia alio rudiorię; luto circumdata esse, invidis largiremur, nova nostratibus non poterit non inde laus exsurgere, utpote qui velis remisque eo pervenerint, quo vix secundo naturæ ductu alii.

a) *Conf. BAILLET. Tom. IV. Art. 445.* *b*) *Lib. 2. de Nat. Deor. Idem etiam de hodiernis prodit JACOBUS SPONIUS in itiner. Lib. V. p. 24.* *c*) *Vid. SEBAST. KORTHOLT. disquisit. de Enthusiasmo Poëtico pp. 39. 40.*

§. III.

Sed hisce nos eo minus innitimur, quo certius est, eos nimium suis abduci præjudiciis, qui vel soli cælique genio, vel astrorum influxui *a*), vel temperamentorum diversitati *b*), & variæ corporum fabricæ, ceterisque caussis naturalibus illa tribuunt in describenda nationis indole, quæ aliunde arcessenda forent. Mittimus proinde ista, & potius Viro summo, THOMÆ BARTHOLINO *c*), adsurgimus, cujus verba nobis notatu digniora visa sunt, quam ut heic præteriri debeant: Quam-„quam, inquit, non segnem operam sectionibus ho-„minum brutorumque olim impenderim, Professores-„que per Europam maximi nominis viderim, hactenus tamen

a) *Risu, quam refutatione digniora sunt, quæ JULIUS FIRMICUS Lib. IV. Astron. Cap. 17. de hoc* Astrorum influxu *commentatur, fingens Poëtas, & divinis carminibus nobiles nasci, si luna defluens a Mercurio in nocturna genitura luminibus ad Mercurium feratur. Huic etjam sententiæ patrocinatur CASPARUS PEUCERUS in de variis divinationum generibus comment. p. 68. Postquam enim de natura cerebri ex seminibus & astris differuerat; Etsi,* inquit, *magna seminum vis est, non minor tamen est cœli & astrorum, quæ non solum cerebri crasi convenienter temperata, sensus acuunt & vegetant, sed etiam temperamentis ipsis, certo positu, certas ἐπιτηδειότητας & acumen quoddam ad peculiaria studia, ad Musicen, Poëticen, Artem Medicam, atque alia hujusmodi imprimunt.* *b*) *Temperamentorum doctrinam majoris faciemus, ubi luculentius evoluta fuerit; interea, sive* Melancholici, *sive* Cholerici *ad Poësin aptiores sint judicandi, certo certius est, nullius temperamenti expertem Patriam nostram censendam esse, sed singula heic passim occurrere.* *c*) *In dissert. de libris legendis p. 36. editionis Meuschenianæ.*

tamen nec lynceis oculis insignem differentiam in ce-"
rebro, corde, hepate ceterisque visceribus observare"
potui, nec observare aliis licuit, quæ Arabes, Græ-"
cos, Hispanos, Italos Gallosque a Germanis, Anglis,"
Danis, Svecis, Norvegis, Islandis & qui in ultima"
Thule habitant, si partium conformationem conside-"
res, separent, ut ab eruditione & rerum bonarum vel"
inventione vel exercitatione, seu hi, seu illi, seu isti"
excludantur." Ad nos vero quod adtinet, credimus nullum sidus Principum favore mitius esse, & ubi adsint MÆCENATES, non defore MARONES. Et cum ex nostratium historicis patescat, quantæ Principum domi militiæque, intra *d)* & extra Patriam *e)* deliciæ fuerint Poëtæ, & quot denique donis eos cumulatos dimiserint; fieri nequiit, quin ars tanti facta plurimos omni tempore habuerit cultores.

§. IV.

Sed ne dubitandi locus supersit, ipsosmet Poëtas nostros

d) *OLAUS VORMIUS in append. Lit. Run. hoc ipsum testatur, dicens: Poëtas veteres, quos Scaldros & Runas vocabant, eo loco apud Reges & Principes antiquitus fuisse, quo jam Consiliarii Litemti, aliique prudentia & rerum usu præstantes: Idque ex eo patescere, quod ab iis aureos annulos, arma deaurata, vestes pretiosas & alia magnifica dona, ac imprimis eorum amicitiam ac favorem meruerint.* *e)* *In MARULLUM Poëtam iniquior quidem fuit ATTILAS, sed id non tam odio artis, quam adulationis. Hic enim, quum Padua in laudes Regis orationem recitasset, & ATTILAS per interpretes inaudivisset, se a Poëta Deum & Diis genitum adpellatum fuisse, MARULLUM una cum versibus comburendum jussit. Sed ne alios a canendis laudibus ejus absterreret, vita pepercit. Vid. CALLIMACHI EXPERIENTIS vita ATTILÆ.*

noſtros pro ſemet teſtimonium dicturos adferemus, idque ea lege & methodo, ut poſt brevem vitæ fatorumque enarrationem, nonnulla ſpeciminis loco proponam carmina, quæ de eorundem vena & ingenio judicandi anſam præbere poterunt. Hunc autem laborem, ut in me ſuſciperem, facile, quem Patriæ meæ debeo, amor & reverentia a me impetravit, præſertim cum ita & imperitorum ſequiora judicia facillime convelli, & ſimul iis, qui Poëtarum noſtrorum carmina, jam inſtar Sibyllæ foliorum diſperſa, aliquando colligere voluerint, facem præferri crediderim. Feci autem id ea brevitate, quam res meæ imperarunt, eaque fide, quam ſpero Te experturum. Interea, B. L, qua par eſt veneratione & officio enixe peto, hæc qualiacunque in meliorem partem interpretari digneris.

§. V.

Uti autem ſeriem temporum, quoad fieri poterit, ſequi conſtitui, ita dum ad antiquiora tempora regredior, eam boreales haſce plagas pervaſiſſe barbariem fateri debeo, ut præter verſificatores, qui leonino carmine & inconditis rhythmis vernacula interdum pro genio ſeculi mixtis cecinere, nulli plane fuerint, qui numeris verba ligaverint. Unicum excipere debeo, SAXONEM GRAMMATICUM *a*), qui ſeculo XII. adulto Lun-

a) *De nomine hujus SAXONIS Proprio inter eruditos non convenit. STEPHANIUS, Vir erudititiſſimus, in notis ad* Hiſtoriam *ejus* Danicam, *eum e Dania generoſiſſima ſtirpe oriundum, nomineque SAXONIS proprio, & ante & poſt ea tempora Danis uſurpato, inſignitum fuiſſe contendit. JOHANNES vero MAGNUS GOTHUS Arch. Epiſcop. Upſ. e contra illud nomen* gentilitium *vel a Patria inditum fuiſſe poſtulat, JO-*

Lundensi præsuli Absaloni a manu & secretis, & eo respectu quodammodo noster fuit *b)*. Hic enim, quod mirari convenit, e spississimis & plus quam cimmeriis ævi sui tenebris ea felicitate emersit, ut sive æquabilem masculamque stili soluti gravitatem, sive venæ Poëticæ svave ac facundum cum facilitate & puritate flumen spectemus; facile diceremus, non barbaro ævo, verum felicioribus istis seculis, ipsisque adeo Musis obstetricantibus, sua in lucem edidisse vatem nostrum. Quod dilucide evincit, quæ adhuc superest, Historia ejus Danica, majori elegantia, quam fide conscripta, ubi passim interspersa videbis carmina, suo sane auctore dignissima. En! ipsum E. G. Latino carmine HIARNII Epitaphium, quo diadema Danicum promeruit, reddentem *c)*:

Frotho-

HANNEMque de SAXONIA adpellat. Nos autem uti hanc controversiam nostram non facimus, ita breviter, quod in rem nostram est, observamus, JOH. MAGNUM non invidia ductum statuisse GRAMMATICUM gente fuisse SAXONEM, cum paulo ante eum HENRICUS CORNELIUS AGRIPPA (natus enim fuit Colon. 1486. mort. Lugd. 1534.) Epist. I. Lib. V. æque ac IRENICUS in hist. p. 17, quem citat JOHANNES MAGNUS, cum adpellet JOHANNEM GRAMMATICUM, Saxoniensem Historiographum: *cujus testimonio quantum tribuendum sit, cum hac in controversia id non dum adlatum viderim, eruditis judicandum relinquo. Danum tamen fuisse haud fere dubito, præsertim cum de Dania, ut Patria sua, sæpe loquatur: nec si* Saxo *fuisset, de suis civibus illa dixisset, quæ pag. 145. videntur.* *b) Non vero Præpositus Roschildensis, ut STEPHANIUS loco supra citato evincere adlaborat. Vid. Annot. SPERLINGII in testamentum ABSALONIS.* *c) Lib. VI. p. 97.*

Frothonem Dani, quem longum vivere vellent,
Per sua defunctum rura tulere diu.
Principis hoc summi tumulatum cespite corpus,
Æthere sub liquido nuda recondit humus.

Videbis etiam ibi varii generis carmina alia: Inter Lyrica succurrit hæc *senectutis* defensio *d)*:

Cedat imbellis vetulo juventus,
Et senis crebros veneretur annos,
In viro forti numerosa nemo
Tempora culpet.

Albicet quamquam senio capillus,
Permanet virtus eadem vetustis,
Nec fluens ætas poterit virile
Carpere pectus.

Hoc eodem tempore viguit quoque Archi-Episcopus Lundensis ANDREAS SUNONIS, Vir eruditione, jurisprudentia, religione, pietate, &, si qua traditionibus habenda sit fides, miraculis venerabilis & clarissimus. Fuit hic magnus eximii SAXONIS Mæcenas, cui & opus suum historicum dedicavit; nobis vero heic eo nomine commemorandus, quod ipse carmine Heroico Hexaëmeron descripserit, & de septem Ecclesiæ Sacramentis erudito metro disseruerit. Quæ quidem ejus opuscula jam desiderantur, sed exstitisse tamen olim in Bibliotheca Ecclesiæ Lundensis, e Perillustris Hvitfeldii Chronico Episcoporum discimus. Post illos vero longa deinde annorum serie ingenua Poësis sepulta quasi jacebat, donec tandem seculo sexto decimo, literis reviviscentibus, novos sumere spiritus iterum cœpit. Ultimum

d) Lib. VI. p. 117.

mum itaque decennium sec. XVI. initium Poëtarum nostratium Latinorum constituet, quorum agmen ducet.

CAPUT PRIUS.

§. I.

ERICUS JACOBI SKINNERUS, Stockholmiensis. Phys. & Eloqu. Prof. Ups. *a)* & Academiæ suo tempore perpetuus Rector. Obiit Stockholmiæ A:o MDXCVII. Ut ordine hicce primus, ita variis scientiis, & in primis Eloquentiæ studio nemini fere secundus erat. Adeo enim facundus fuit, ut titulo *Ciceronis Svecici* a Germanis vulgo insigniretur. Vena etiam Poëtica non vulgari, pro ratione seculi, eum instructum fuisse, satis edocet præter *Epithalamium* operosum in nuptias Regis JOH. III. & Reginæ GUNILÆ BIELKE, *Epitaphium*, quod paulo ante mortem, atque adeo in ipso agone sibi tale composuit:

Hoc tumulo situs est ERICUS, Patre JACOBO,
Qui Stockholmensi *natus in urbe fuit.*
Qui bene de studiis puerisque Scholisque mereri
Ingenii studuit pro ratione sui.
Illi pro multis erit alma Academia testis,
Anxia Rectorem, quem vocat ipsa novum:
Hunc qui succedes onerosum nactus honorem,
Consule collegas, atque precare Deum;
Quisquis es hunc vetitis lapsum qui casibus audis;
Hunc simul ex animo pœnituisse scias.
Tu quoque cum lapsus fueris peccata gemisce,
Ad Christum fugiens non dubitante fide,
Propositumque tenens vitam emendare priorem,
Ne dubites veniæ te reperisse locum.

a) Poëticen *etiam professum fuisse contendit Dn.* Rolott *Geval. in de Profess. Acad. Diss. p. 173. Nobiliss.* Peringskiöldio *in Tom. II. Monum. Upland.* Math. & Eloq. *iterum audit.*

Nepote ejus, GUSTAVO MAGNO, vota faciens ab eo introducitur:

Sensit ut exsangvem GUSTAVUM Svecia Regem,
Integrat hocce melos:
Nil habui, postquam cepit primordia Regnum,
Acrius & melius.
Nil potius, gravius, moderatius, aequius unquam
Regia sella tulit.
Svecicus hic Phœnix surgat redivivus, & illud
Praestet ubique Gothis,
Iste quod Herculeo subjectis praestitit olim
Robore, mente, manu.

En quoque imaginem CHRISTIERNI II. Tyranni satis vivide ab eo depictam!

Quicquid tentabam, quicquid meditabar, & ore
Quicquid conabar dicere, sangvis erat.
Namque tot innocui profudi sangvinis amnes,
Monstra quot undivagus grandia Pontus habet.
Ergo graves me Styx facit enumerare dolores,
Styx fera mortiferis torquet abunde malis.

Varia alia eaque egregia, sed extemporali vena ut plurimum fusa; supersunt carmina ejus, utpote *Threnologia Dramatica* in æviternam laudem Regis JOH. III. *Epicedia* in obitum Illustriss. Reginæ GUNILÆ BIELKE, Principis hereditarii Sveciæ, CAROLI PHILIPPI, & JOHANNIS Ducis Ost. Gothiæ. *Adclamatio* ad eundem Ducem pro felici Ducatus auspicio A:o MDCVIII. *Dialogus nuptialis* inter eundem & Principem sponsam MARIAM ELISABETHAM, CAROLI IX. Filiam, MDCXII. *Elegi* in coronationem Regis GUSTAVI ADOLPHI, MDCXVII. nec non *Epigramma* in laudem Viri Celeberrimi, qui nobis proximo loco commemorandus erit.

§. III.

JOHANNES THEODOR. MESSENIUS, Vadstenensis: Nat. A:o Ch. MDCXXXI. Philosophiæ Doct. & Poëta Cæsareus. Juris & Polit. in Acad. Upf. primum Prof. *a)* deinde Dicasterii Regii Stockholm. MDCXIV. d. XIX. Maji Adsessor, quo etiam tempore Regiæ Cancellariæ, seu Archivi Regni acta secretiora suæ fidei concredita habuit, atque ab interitu insigniter vindicavit, uti comprobant opera ipsius plurima lectu dignissima. *Poëseos* cum *Svecana*, tum in primis *Latina* non fuit ignarus, quemadmodum declarant *Epigrammata*, singulis *Scondia Illustrata* Tomis præfixa, & etiam ceteris scriptis inspersa varia alius argumenti alia. Succurrit quod in funus Dn. MARTINI BRENNERI, Pastoris in Ecclesia Vasana Bothniæ Orientalis, conscripsit *Epicedium*, elegans certe & concinnum: Id autem ita orditur:

Horri-

a) In actis tamen Acad. Upsal. a M. MARTINO ERICI GESTRINIO, Mathem. Inf. Prof. aut alio fere συγχρόνῳ, Eloqu. & Poëf PROF. *sed forte minus accurate, adpellatur: In diplomate enim Regio, quo M. JONAS COLUMBUS Westmannus, Poëseos & Musices Professor constituitur,* primus *vocatur, cui hac Sparta contigerit. Hic deinde in cathedra Poëtica successores habuit M. AND. GYLLE, GYLDENKLOU, OstGoth. MDCXXXI. M. LAURENTIUM FORNELIUM Ost-Goth. MDCXXXV. M. JOHANNEM COLUMBUM Vestm. MDCLXXIII. M. PETRUM LAGERLÖFVIUM Vermland, MDLXXXIV. M. HEMMINGUM FORELIUM Ost. Goth. MDCLXXXVII. M. PETRUM SCHYLLBERG V. Goth. MDCCXI M. MATTH. ASP. O. Goth. MDCCXIX. M MAGN. BERONIUM Uplandum MDCCXXXII. & M. JOH. IHRE O. Goth. MDCCXXXVII.*

Horrida jura canam, dirum quoque mortis acerba
Imperium, tristes funde Thalia sonos:
Bothnia, qua rutilo Phœbi protensa sub ortum
Climate, bis binis urbibus illa micat.
Ulmque Carlepolis GUSTAVI condita jussu,
Qui modo Svecorum fulgida sceptra gerit.

Varia fuere alias eximii hujus MESSENII fata: Admodum juvenis, Parentibus insciis vel invitis, per Pontificios furtim ablatus, in Germania, Polonia & Italia per XVI. annos literarum coluit studia. Tum demum in Patriam reversus, munia, quæ supra memoravimus, obivit. Tandem autem clandestini cum Polonis, regni tum hostibus, Pontificiis item & Jesuitis commercii literarii convictus, ex sententia judicii Regii in carcerem condemnatur perpetuum *Cajaneburgi* in Bothnia Orientali, ubi tamen mortuus non est, sicuti perperam refert Auct. Svec. Lit. p. 85. sed inde liberatus, cum reditum in Patriam moliretur, obiit sub itinere *Ubloburgi* A:o MDCXXXVI. ætatis suæ anno LVII, ubi etjam in templo urbico sepultus jacet. Vid. Biblioth. Sv. Goth. STIERNMANNI p. 127. seqq. JOSEPH. THUN in *vita Palmskiöldiana* p. 54. & ipsummet Tom. X. Scondiæ Illustr. p. 41. seqq.

§. IV.

JOHANNES OL. DALEKARLUS, Prom. Mag. Ups. MDCXXV. Nobilis STIERNHöK dictus. Primum Lect. Pol. & Histor. Gymn. Aros., dein Prof. Juris Acad. Aboënsis, & Assessor Dicasterii ibidem, tandem Secretarius Regius & Adsessor Collegii Revisionum, postremo Consiliarius Aulæ Regiæ, Nat. d. XXVII. Febr. A:o MDXCVI. Denat. d. XXV. Junii A:o MDCLXXV. Ut in aliis, ita & in Poëli eximius erat, si fides habenda VIDEKINDO, qui vitam ejus carmine elegiaco conscripsit, ubi inter alia:

Seu numeris solvenda suis, seu verba liganda,
Tu fueras gemino promtus in eloquio.

Memorat etiam Celeberr. STIERNMAN in Tom. II. p. 538. Biblioth. Sv. Goth. *Epicedium*, quo manibus *Erici Petri Drivii*, qui in Hollandia in flumine Gouda, submersus obiit, parentavit.

§. V.

LAURENTIUS OL. WALLIUS Nericius. Nat. A:o MDXCVIII. d. XIV. Aug. Denat. A:o MDCXXXVIII. d. XXIII. Junii. Philos. Mag. & Doct. Theol. Primum Rector Schol. Stregn. inde concionator aulicus Regius, hinc constitutus A:o MDCXIX. Past. prim. Holm. A:o MDCXXI. d. XXVII. Febr. deinde Theol. Prof. prim. Ups. & Pastor utriusque Ecclesiæ, postremum Episcopus factus est Stregnesiæ A:o MDCXXXVIII. d. XII. Febr. *a)*. Fuit hic Poëta Latinus non contemnendus, quod luculenter testatur, præter alia carmina passim occurrentia, *Pentas missuum lugubrium* Carmine Sapphico, ad imitationem capitum quinque threnorum Jeremiæ, in obitum & Sepulturam Regis GUSTAVI ADOLPHI. In conscribendis *Elegis* nec infelicem eum operam navasse, facile probabunt versus, quibus salutem & consolationem Reginæ MARIÆ ELEONORÆ, casum luctuosissimum Regis & Mariti GUSTAVI ADOLPHI deflenti, ita adprecatur:

Quis-

a) Minus accurate itaque perhibent Doct. SPEGEL in Chronic. *Episcoporum p. 333. & Nob. PERINGSKIöLDIUS in Monum. Ullerâkr. Tom. II. p. 200. eum A:o MDCXL. Episcop. Stregn. constitutum fuisse, cum MDCXXXVIII. vita defunctus sit. Liberi ejus equestres meruere ordines, dictique WALLENSTEDT. Vid. STIERNM. Bibl. Sv. Goth. T. II. p. 301. seq. & MOLLERI HYPOMNEM. p. 386.*

Quis Regina tuas jam consolabitur? imo
Quis potis est lacrimas sistere, quaso, meas?
Heu cecidit, cecidit, cecidit! GUSTAVUS ADOLPHUS
Cordis Reginæ *pars bona nempe* Suæ!
Quid magis? Illustris Svecorum gloria regni, &
Telluris Patriæ sola columna jacet!
Illa dies nobis infelicissima Svecis,
Atque iterum infelix ille Novembris erat.

§. VI.

ERICUS HAQVINI ODHELIUS, V. Gothus. Theol. Prof. Upf. MDCLII. d. VII. Febr. Dein Past. Prim. Stockholm. A:o MDCLV. d. XVI. Junii. Defunctus Hamburgi MDCLXVI. d. XXXI. Julii. Poëta Latinus non infelix erat. *Epitaphium*, quod ipse sibi confecit, & adhuc spectatur in Basilica Upf., columnæ, quæ proxime adstat conditorio Regis GUSTAVI I:mi, adpensum, de vena ejus fluida verissimum fert testimonium. Id autem tale est:

Ivi, quamque Deus metam mihi fixit, adivi;
Vixi, nunc jaceo vermibus esca meis.
Dum vixi, primis studui constanter ab annis
Scrutari sanctos nocte dieque libros.
Quicquid in hac patria, peregrinis quidquid in oris
Discere conabar, pagina sacra fuit.
Quæ didici, docui sine fuco, cetera dicant,
Qui, mea quid promsit lingva manusque, sciunt.
Tres & quadraginta mibi sunt circiter anni,
Cum Deus e fragili me statione vocat.
Jam quoque sunt anni bis bini lustraque quatuor,
Incepi postquam munus obire sacrum,

Ex

Ex his bis senos oracula sacra professus
*Upsaliæ *) Terras, Teuto, reviso tuas.*
Vis cogit morbi: Frustra mihi Mænus & ingens
Hinc petitur Rhenus Cattiacusque latex.
Non hic ars, non limpha juvat; Divina voluntas
Sic fert, debilior tento redire domum.
Deficio; Hamburgi morior victurus, habetque
Hæc patrio tellus ossa sepulta solo.

*) Hactenus ipse ante extremam profectionem in Germaniam: cetera post mortem ejus addidit MART. BRUNNERUS, tum temporis Græcæ L. Prof. postea Theol. D. & Prof. Upsal. celeberrimus.

§. VII.

JOHANNES JOH. PRYTZ Ost. Goth. Consul Justitiæ Stockholm. Inter alia Poëmata laude non defraudanda scripsit *Naniam* ligatam in obitum Principis hereditarii CAROLI PHILIPPI A:o MDCXXII. cujus initium est:

Eheu! quis largo tabescere lumina fletu,
Lugubrique dabit fronte rigare genas.
Lugete O Sveci, quondam sub Principis alis
Hic illic urbes quas coluisse juvat.
Vos vos cultores durive virentis agelli,
Mortali cassum luce dolete Ducem.

NICOLAUS JOH. PRYTZ oratione etiam quadam Vittebergæ Anno MDCVIII. Angelorum officia carmine Heroico concinne decantavit *a*).

§. VIII.

ERICUS OLAI LINDEMAN Skeningia-Ost. Gothus. Nat. d. XI. Febr. MDCXXXIV. Denat. d. XI. Junii MDCXC. Secretar. Reg. Nobilitatus nomine *LINDSCHIöLD*

a) *Vid. STIERNM. Biblioth. Sv. Goth. Tom. II. p. 152.*

SCHIÖLD MDCLXVIII. Aulæ Consiliarius MDCLXXIV. Consiliarius Cancellariæ MDCLXXVII. Cancellarius Aulæ MDCLXXX. Præses Regiæ Revisionis MDCLXXXV. Senator Regni, Comes & Acad. Carolinæ Cancellarius MDCLXXXVII. Gubernator Principis hereditarii CAROLI XII. MDCLXXXVIII. πολυμαθὴς, *a)* si quis alius. Variis etiam Poëmatis Latinis, iisque perquam egregiis, omnium Doctorum meruit adplausum. Ut autem leonem B. L. agnoscat ex ungve, unicum ex ingenti numero adferam, quo expeditionem gloriosam Regis CAROLI GUSTAVI, mare Balticum glacie constrictum cum toto exercitu omnique belli adparatu mense Januario A:o MDCLVIII, transeuntis, exponit:

Marte satos Sveones prisci sensere Gothosque,
Traditur & Borea Mars habitasse lares.
Quo non arma tulit pugnax septentrio? Quis non
Incubuit mundi gens animosa plagis?
Crebrius inprimis vicino cardine moti
Irarum nimbi detonuere graves:
Prælia quis nescit vel bellatricia rostra
In gremio Baltes in boreaque sinu?
Sed superat veteres sors nostra novissima casus:
Vidimus hoc ævo bella stupenda magis.
Post domitos populos, post regna impleta tropæis,
Quâ vagus effusa Vistula mole fluit.
Pergebat Cimbras CAROLUS GUSTAVUS ad oras,
Ulturus ruptam per fera bella fidem:
Jamque rates Pelago vecturas castra parabat,
Allatura moram frigora sola timens:

a) Eo nomine *a SCHEFF. in* Sv. Lit. *p. 222. & VITTENIO Tom. II. Diar. Biograph. p. 179. 180. nec non dedicatione* Tom. I. *multis celebratur. Designatus etiam erat Eloquentiæ Prof. Upsal. MDCLXVII. d. 26. Junii, quod tamen munus non adiit.*

Fit compos voti Rex per contraria votis,
Dum fuit in nostris partibus acris hiems;
Sidere pragelido mox Arctos inhorruit omnis,
Atque incrustatas consolidavit aquas.
Vertitur in Pontem Pontus, laquearque fit aquor,
Inque soli speciem cogitur omne salum.
Persultant aciem florentes are caterva,
Arctoasque acies marmora salsa ferunt:
Magnanimus latas ductat Rex ipse cohortes,
Insolitumque suis per freta monstrat iter.
Ænea cornipedum fixos terit ungula fluctus,
Per vitreos campos agmina cana meant.
Si gessit triplici pracordia juncta metallo,
Qui docuit primus carul[illegible] ferre ratem;
Pectora qua fuerint, quamqu[illegible] impavidissima nostris,
Qui nulla calcant aquora strata trabe!
Non vos, Isacides, divina potentia solos,
Nos quoque prasenti nobilitavit ope:
Illinc seu gemini, sublimia flumina, muri
Erecta, & sicco sunt vada tacta pede.
Pensilis hinc fornix & pons cristallinus undas
Induit; insuetum his imposuitque jugum;
Neutris fluxa fides elementis, concita neutris
Neptuni movit turbine bilis aquas.
Utraque gens victis illustrior hostibus egit,
Utraque gens terris ditibus aucta fuit.
Quaris, cur similes referant miracula casus?
Utraque gens nixa est, utraque causa, Deo.

Nec his inferiora sunt *disticha* in omnes *Reges* Sveciæ a GUST. I. ad CAROL. XI, concinnata; de *hoc* autem *ultimo* hunc in modum:

Bella gerit, vincit, revocat bona publica, sarcit
Damna, fovet plebem militiaque favet.

Ut silentio prætereamus cetera ejus scripta Poëtica,

ca, utpote *Epitaphia:* In manes Principis heredit. Sveciæ CAROLI GUSTAVI recens nati; Campi Mareſchalli SIM. HELMFELDII & Generoſiſſ. Adoleſcentis GUSTAVI BONDE. *Epithalamia:* In nuptias D:ni JACOBI LILJEHöK & BRIGITTÆ KRUS, quod *Militia Martis & Cupidinis* inſcribitur, & Prof. Upſal. PETRI LAGERLöFVII cum virgine Nobiliſſ. ELISAB. BROMAN: *Literas* etjam ad Secret. Status, Dn. LAURENT. WALLENSTEDT, dum Comes atque Senator Regni crearetur, iteratis vicibus. Singula prorſus egregia & acuminis pleniſſima.

§. IX.

JOHANNES BERGH Lib. Bar. BERGENHIELM Oſt-Gothus *a)* Nat. MDCXXIX. d. 24. Junii. Obiit MDCCIV. d. 2. Nov. Hiſtoriarum primum Prof. hujus Lycæi MDCLXI. Dein in Cancellaria Regia Protocolli Secretarius MDCLXV. Poſt Conſiliarius Aulicus, demum Cancellariæ & Status Secretarius, tandem aulæ Conſiliarius MDCXCIII. & legationis ſolemnis in Muſcoviam caput. Hujus in *Poëſi* labores eximios ſi taceremus, negligentiæ ſane nota nobis maximo jure inureretur, cum, quæ ſcripſit carmina, elegantiſſima ſint, Illuſtrisque auctoris fama & eruditione digna. Qui autem brevitatem ſectari cogimur, unum tantummodo carmen, quo factum illud admirabile CAROLI X, quod LINDSCHIöLDIUM nuper celebrantem audivimus, trajectum nempe maris Baltici glacie conſtricti, canit, in præſentia adferemus: ut ita Illuſtre hoc amicorum & *Vatum* par, quemadmodum in vita ſæpe invicem carmine ſe exercuerat *b)*, nunc quoque committatur:

C 2 *Semideos*

a) Inſcriptus albo Nationis Oſt-Gothicæ MDCXLV. *b) Manibus noſtris etjamnum teruntur carmina LINDSCHIöLDII & BERGENHIELMII, de itinere* Staſſundam *ſuſcipiendo, utut*

Semideos quid Roma tuos, quid Graja vetustos
Laurigeros jactas, nomina magna, duces?
Major in Arctoo consurgit gloria *mundo*,
Subque Lycaonio sidere *vincit honos*.
Rex Sveonum CAROLUS GUSTAVUS, vindice ferro
Hostes prosternens, aquora transit eques.
Admittunt placide Regem Neptunia Regna,
Victoremque stupet Cimbrica *vincta* Thetys:
Successus tantos veniens mirabitur etas,
Nec facile inveniet transitus iste fidem.
Calcarunt fluvios alii, mare sternitur illi;
Talis hyperboreo laurea digna Duce.
Esse DEO carum quis posthac ambiget illum,
Natura illustrat quem famulantis opus?

In *abdicationem* etjam Reginæ CHRISTINÆ, utut breviter, non tamen invenuste:

Hactenus has tenuit sedes animosa Leæna,
Nunc Leo magnanimus sed loca cessa tenet.

Epigrammatis quoque, quorum aliqua adposita sunt *Iconibus* pertinentibus vel ad *Historiam* Glor. M. Regis CAROLI GUST. vel ad *Sveciam* novam & antiquam Illustrissimi Comitis DAHLBERGII, teste Holm. lit. p. 88, luculentam suam daclaravit venam.

§. X.

LAURENTIUS JONÆ FORNELIUS. Ost-Gothus. Promo-

extemporanea, sale tamen refertissima. In uno illorum BERGENHIELMIUM per jocum carpit LINDSKIöLDIUS, quod primam in gloria *contra metri leges corripuerit, quod ita excusat noster:*

Non errore aliquo factum est, ceu cerno notatum,
Quod vobis longa est gloria, *nostra brevis:*
Sic visum est superis, quibus ut certare minores,
Præsumant vanum est: sint rata jussa Deûm.

motus Mag. Lugd. Batavorum MDCXXIX. Bibliothecarius Regius MDCXXXIV. Poëſ: Prof. Upſ. MDCXXXV. d. V. Nov. & Paſt. in Vet. Upſ. MDCXLVI. d. VII. Febr. obiit MDCLXXIII. d. VIII. Julii. Elegans fuit Poëta Latinus, quemadmodum fidem faciunt varia ejus carmina paſſim occurrentia. Quod ne gratis dixiſſe videar, audiamus ſolummodo verſus, quibus Horologium ſuum Aſtrologicum Upſalienſe, a Dn. Doctore OLAO WALLIO tantopere laudatum, *a)* orditur:

Aſtrorum poſitus, ſolis cœlique meatus
Stellarumque vices, & nexos orbibus orbes,
Innumeros cœli numeros, & conſcia fati
Sidera, & abſtruſi fatales ſideris ignes,
Immenſasque Poli luſtrare volubilis oras &c.
Hic canere incipiam. Cœli mihi ſumma poteſtas
Adſpiret, noſtris facilem det verſibus auram.

In ſaxo etiam ſepulcrali, quod in templo Upſaliæ veteris habet, hos ſibi poſuit verſus notatu dignos:

Gothia *me genuit,* Batavi *fecere* Magiſtrum,
Upſalia *excepit*, Porticus *hac ſepelit.*
Me melius nemo GUSTAVI *vulnera regis*
Vidit, id in ſaxo hoc Lector *habeto novum.*

Scientes omittimus *Panegyricum*, quem in ſacræ

 Poëſeos

a) Contulerat Doct. OL. WALLIUS Horologium hoc Upſalienſe FORNELII cum Argentoratenſi Celeb. FRISCHLINI, quocirca in hac erupit verba: Hac metra citra affectum legenti, lectaque conferenti, incertum erit & difficile adfirmare, uter horum palmam in ſcribendo carmine alteri præripuerit, & alterum ſuperaverit: Niſi adſcripta fuiſſent, & Lector videret horum verſuum auctorum FRISCHLINI & FORNELII nomina, neſcire habebit, ſat ſcio, Lector neceſſum, uter horum hujus, uter illius carminis auctor. vid. Scheff. Svec. Lit. p. 141.

Poëseos studium adhuc juvenis edidit, in quo omnes literas Alphabeti pertransit illo modo, ut quævis dictio primorum versuum a lit. A, incipiat, sequentium a ceteris deinceps ad finem usque Alphabeti. Recensentur alia poëmata ejus varia a CEL. SCHEFFERO l. c. p. 141. & Amplisf. STIERNMANNO in Biblioth. Sv-Goth. Tom. II. p. 472 seq. Filium etiam noster habuit JONAM FORNELIUM, Mathes. Prof. Upsal. Poëseos latinæ pariter non ignarum.

§. XI.

JOHANNES VIDEKINDI Vestmannus. Lector primum Gymn. Stockholm., postea Historiographus Regius. Locum inter Poëtas Latinos non infimum meruit, uti inter alia testatur *Elegia* conscripta in laudem *Rustica vita*, cujus initum est:

Aula vale, satis es largita, satisque negasti,
Es mihi cara satis, nec satis, Aula vale!
Ruricola salvete Lares, salvete penates,
Quos cali & terra gloria major habet.
Vos colitis Divum sedes, Vos regna Napaa,
Qua fortunatus Pan Dryadesque tenent.
Hic Te, Faune, doli, nec mille pericla salutis
Terrent, sed stabilem dant pia vota fidem.
Nullius hic trepidus turbaris voce vocantis,
Libera sed vita dividis acta tua.

Nec laude sua defraudanda sunt cetera ejus scripta Poëtica: In Tuguriolum suum *Menhammar*, insulæ Ekeröensis, *elegi*: In obitum JOHANNIS STIERNHÖKII, nec non conjugis ejusdem HELENÆ BEJER: In manes Rever. Episcopi JOAN. ELAI TERSERI. *Epithalamia* etjam in connubium Bar. JOH. SKYTTE & Nobilisf. Virg. BEATÆ LILJE, pariter ac *Inspectoris* Argentifodinæ Salensis JOH. PETRI & virg. BRIGITTÆ SPAK, aliaque perplurima. §. XI.

§. XII.

EMUNDUS NICOLAI FIGRELIUS Ost:Gothus *a)* Histor. Prof. Upſ. MDCL d. XIV. ſept. Dein Secretar. Regius, & Informator heredit: Principis CAROL. XI.ſimulq; nobilitatus,nomineGRIPENHIELM,MDCLX. Baro MDCLXXIII. Regni tandem Senator, & Aulæ Reg. Cancellarius. Obiit MDCLXXVI. Poëſin Latinam felici Minerva exercuit, quemadmodum fidem faciunt hic illic obvia carmina ejus; ex quibus unum ſpeciminis loco producimus, quo trigæ fratrum, Baronibus AXELIO, BENEDICTO & JOHANNI ROSENHANIIS, nec non Dn. JOH. TUNGEL, auſpicatiſſimos CAROLI XI, Sueciæ tum hered. principis, natales orationibus publice in Acad. Upſalienſi celebrantibus, gratulatus eſt.

Dum Rex Sarmaticum Magnus fert arma per orbem
CAROLUS, & rupti fœderis ultor abeſt;
Dum lauros, aum longinquo petit axe triumphos,
Et Gothico victus Viſtula Marte gemit;
Suecia *grata Deo tellus, pars inclita mundi,*
Quo ſimul exſultet, repperit ecce domi.
Magna oritur Regum Soboles, hæresque paterni
Nominis, in cunis CAROLUS ultor adeſt.
Jamque augusta domus, ſceptrumque Aquilonis & alma
Exſultat gemino tuta Leone *quies.*
Sic in noſtra novo Mars *&* Lucina *favore*
Commoda conſpirant, hæc *domi &* ille *foris.*
Temperat ille *enſes, hoſtique innectit habenas;*
Facem e purpureo porrigit illa *ſinu.*

Prater

a) Oſt-Gothum *ſe dicebat, etiamſi* Schedviæ *Veſt-Gothorum d. 24 Martii MDCXXII natus eſſet, Patre illinc tunc Ludimagiſtro: ratio forte fuit, quod* Schedvia *olim pertinuerit ad* Diœceſin Lincopenſem.

Præter hæc enummerat Celeb. SCHEFFERUS in Sv. Lit. p. 176. *Diagramma Epicum*, de ultimo mundi die & vita æterna, ad Comitem GUSTAVUM BANERIUM, quem in itinere apud exteros comitabatur: *Epitaphium Elegiacum* in funus illustriss. Comitis JACOBI DE LA GARDIE, Regni Sveciæ Archistrategi. Quibus accedit *carmen gratulatorium* adjunctum Parentationi, Illustrissimis manibus Herois CAROLI CAROLI GYLDENHIELMII consecratæ, elegans sane & argutum. Edidit idem etiam librum singularem de *statuis Illustrium Romanorum*, qui exteris magno in pretio habetur; (teste Möllero ad nomen ejus in Hypomn. ad Sv. Lit. 400) & locum in Thesauro Græviano summo jure meruisset. *a)*

§. XIII.

ANDREAS LILJEHöK Lib. Bar. in Nerpis. OstGothiæ Gubernator, & simul Legatus Sveciæ ad Aulam Polonicam. Mortuus d. XVI. Nov. MDCLXXXV. Insigni & mirabili versus fundendi excelluit facultate, quemadmodum *Venus* ejus *Gothica*, seu carmen gratulatorium in nuptias Regis CAROLI GUSTAVI & HEDVIGIS, Principis Holsatiæ, nec non, quos fudit, *Elegi* in laudem virtutis heroicæ CAROLI XI, liquide ostendunt. Elegans quoq; est & tersissimum *Epos* ejus *gratulatorium* in librum de *Statuis Illustrium Rom.* EMUNDI FIGRELII, ex quo hoc solum delibabimus:

Illustres animæ, quas Dis contermina virtus
Extulit, & celso titulis æquavit Olympo:
Dum vos æterni metas pertexitis ævi,
Nec vos fata manent sævis obnoxia Parcis,
Sive per Elysium vobis reptare salictum,
Seu Phlegetontiacas alnis tranare paludes,
Seu superas habitare domos contingit, & astra; Cer-

a) Falsa penitus sunt, quæ de nostro tradit N. H. GUNDLINGIUS in Disc. sup. statibus Europæis P. II. p. 345. ut vel ex iis, quæ heic breviter dicta sunt, patet.

Cernite cælato veſtros in marmore vultus,
Atque Corinthiaco facies ſpirare metallo.
Cernite! nam veſtræ fuit hic non ultimus olim
Virtuti decretus honor; dum Martia victo
Hoſte triumphali capitolia ſcandere curru,
Et pulcram Clariâ frontem velare corona,
Seu licuit geſtare togas & pacis Olivam
Felici tractare manu.

§. XIV.

THOMAS POLUS. Nat. Revaliæ Patre TIMOTHEO POLO, Poëta Laureato & Poëſeos ibidem Profeſſore. Poſt varias legationes & alia munera ad Senatoriam tandem evectus eſt dignitatem, addito ſimul Comitis titulo & inſignibus. Quantum etjam ei diva debeat Poëſis, facile animadvertet, qui monumenta feliciſſimi ejus ingenii penſitaverit. Ut cetera taceam, carmen ejus Geniali Thoro Regis CAROLI XI. & Reginæ UDALRICÆ ELEONORÆ ſacratum, eum inter Poëtas primæ magnitudinis non immerito referri debere, ſatis confirmat: En auſpicantem:

Dum plauſus inter, pacataque jubila mundi,
Feſtis collucet Borealis Regia tædis,
Quas ingens accendit Hymen; dum ſerta parantur
Poſtibus, & cuncti thalami cumulantur honores
Ducturo ULRICAM CAROLO; non undique tantum
Mortales hominum concurrere credite cœtus:
Numina virtutum cœlo delapſa ſereno
Adſpicio vates. Adſtant genialibus aris
Divarum excelſæ ſpecies; Pietasque fidesque,
Juſtitia, & nullis conſtantia fracta procellis;
A[illegible] [illegible]lmineis Virtus Mavortia telis;

Quæ, quoniam CAROLO mentem finxere Sorores,
Nunc alacres adsunt, Caro *ut gratentur* Alumno
Virginis AUGUSTÆ amplexus.

Oda etjam *Alcaica* in Doctoratum Profess. Pernav. apud Livonos GEORGII PREUSII omni honore nomen ejus gerit, ut mittamus varia varii generis *Epigrammata a)*, quibus insignis fuit.

§. XV.

JOHANNES PAULINUS OLIVENCRANTZ. Filius A. Episcop. Ups. Doct. LAURENT. PAULINI GOTHI. Cancellariæ primum fuit Regiæ Actuarius MDCLVI. Dein Secretarius plurimarum legationum. Hinc Secretarius Revisionis MDCLXII. Porro Secretarius Status & Cancellariæ Consiliarius. Postea MDCLXXVI Legatus extraordinarius ad tractatus pacis Neo-Magensis, CHRISTINÆ demum Svecorum quondam Reginæ Consiliarius & Dominiorum Generalis Gubernator *b)*. A foro Poëtico eo minus arcendus, quo certius est eum caussam suam ibi omnium adplausu egisse, & *Venusino Ore* jucundissime cecinisse. *Oda* ejus dicata sacro solenni Regiæ Unctionis Serenissimi & Potentissimi Principis D:ni CAROLI XII. locuples hujus rei testis est: cujus initium

Cur veste nigra, funeris indice,
Hic inquinatur lætitiæ dies,
Qui poscit augustos honores,
In Patria bona destinatus?
En tecta, terram, cunctaque rectius
Nix alba vestit, lumine candido:
En ipse pulcro Rex renidet
Ore, sibique bonum referri *Exspe-*

a) Teste von der Hardt in Holm. Lit. p. 38. *b) Vid. Idem p. 29. 30.*

Exspectat omen. Promite serio
Grati favoris verba volentia;
Omnesque Regalem coronam
Auspiciis honorate faustis.
Ut cingat apte tempora Principis
Lauri ac olivæ florida virgulis,
Per Martis *æque ac* Pacis *artes*
Ad memores celebris nepotes.

Multas præterea Odas, Epigrammata & alia carmina conscripsit, quæ partim edita sunt, partim adhuc in MSS. latent, universa autem prorsus egregia & multo sale conspersa *c*).

§. XVI.

JOHANNES JONÆ COLUMBUS. Vestmannus. Poës. primum Extraord. dein Ord. Prof. Ups. MDCLXXI. mortuus MDCLXXXIV. Omnium confessione Poëta Latinus, si quis alius, svavissimus fuit, quem Sv:Gothia nostra summo jure aliis cujusvis gentis, tam antiquioribus, quam recentioribus opponere potest. Adeo etjam impiger, ut nullam prætermiserit occasionem, quin aliqua depromserit, eaque, quamvis interdum extemporanea, Musis tamen & Apolline multo plena. *a*) Ut dulcedinem ejus degustemus, carmen votivum Epicum in natalem Reginæ UDALRICÆ ELEONORÆ d. XVI. MDCLXXXII decantatum, intuebimur, quod inter alia hæc habet:

c) *Vid. Holm. Lit. p. 30.* *a*) *Plura vir hic Celeberrimus in lucem publicam edidit, quam quibus enumerandis charta sufficiat. Salivam erudito orbi primum movit pul-*

Jam situs amotos rubigine deterat enses:
Machinaque utilibus Mavortia cedat aratris,
Conflet, & ignivoma mutet fornace recocta
Dura faber ferris curvisque ligonibus arma.
Parcite mortales, (ita pax mitissima fari
Fertur, ut ad medios vittatam tendit olivam)
Parcite tot furiis animos stimulare nocentes,
Abstulerant vobis nimium vindicta dolorque
Sanguinis, & tetricæ tenet omnia mortis imago.
Quo tantam lucem rationis & ignea cæli
Semina, consilii tantas in pectore vires;
Si tamen ambiguus vitam rapit impetus omnem,
Juraque dispensat gladiis & robore Mavors?
Stringite, si certum est vi cernere, ruris in hostes,
Inque feras ferrum, quæ vos populantur, & agri
Ditis opes rapiunt: homini bonitate fideque
Certet homo, socientque suas in mutua dextras
Commoda:

Pater ejus fuit JONAS COLUMBUS, Poëseos etjam Prof. Upf., cujus Poëmatum non nisi exiguas videre licuit reliquias, sed eas non invenustas. Fratrem etjam habuit SAMUELEM COLUMBUM, nativum illum & percelebrem Poëtam utriusque linguæ, adeo ut verum esse pateat, quod alicubi *b*) tradit Celeberr. MART. BRUNNERUS divinam Poësin gentile COLUMBORUM bonum fuisse.

§. XVII.

PETRUS LAGERLÖÖF Vermelandus. Log. & Metaph. Prof. Upf. MDCLXXXII. Poëf. MDCLXXXVII. item Eloq. MDCLXXXVII d. xxx. April. simulque Historiographus Regius MDCXCVIII. Obiit MDCXCIX d. VII. Jan. Dignissimus hic utique fuit, qui Eximio vati

b) In Programmate ad Orat. ejus in laudem Oleæ.

ti COLUMBO in cathedra Poëtica ſuccederet. Carmina enim utriusque ſi contuleris, dubius certe hærebis, cuinam potiſſimum palmam adjudicare debeas: Erat certe, ut illi, ita huic ingenium, mens divinior & os magna ſonaturum. Ut autem more meo nonnulla, B. L. libanda proponam, adferam feliciſſimi vatis noſtri *Elegiam* in tumulum Campi-Mareſchalli inclutiſſimi Bar. SIMONIS GRUNDELL HELMFELDII, qui fortiter pugnans in prælio Scanenſi occubuit. Ea ſane fidem faciet nimium me non dixiſſe, ſi Noſtrum GROTIIS HEINSIISque in pangendis verſibus multo non fuiſſe inferiorem affirmavero. Ita vero ibi:

Credidit huic, hoſpes, HELMFELDUS oſſa ſepulcro;
Et nomen tantum jam brevis urna capit.
Qui poſt belligeræ tot fata ac auſa juventæ,
Quæ poterant laudi ſola fuiſſe ſatis:
Poſt fere tot titulos, quot vix numeraverat annos,
Quos omnes uni debuit ille ſibi:
Poſt partam virtute togam decus atque curule;
In quo nil proavus diceret eſſe ſuum:
Devovet emeritam Regi Patriæque ſenectam,
Et properat fatis obvius ire ſuis:
Suſtinuitque premi venerandos caſſide canos,
Sub quibus at juvenem, qui decet, ardor erat.
Nec procul eſt ducenda fides; Pars ille tuorum,
Dum bis vincebas, CAROLE, magna fuit.
Invidit terni ſenſum fortuna triumphi,
Cui tamen ipſe ſuo ſanguine ſtravit iter:
Aut tantum potius columenque decusque triumpho
Invidit, per quod lætior ille foret.
Sed bene, quod non hac requieſcis inultus in urna
Si quid adhuc ſenſus eſt tibi, plaude cinis

Ense parentatum est Tibi *mox, tibi justa peregit,*
Et ferro exequias vindice miles iit.
At nobis, si vera loquar, nulla ultio tanti est;
Et lucrum victus quamlibet hostis habet.
Et quid vindictam frustra poscemus, in hoste
Jactura nequeat cum locus esse pari.

§. XVIII.

JOHANNES BILLBERG. V. Gothus. Mathem. Prof. Upſ. MDCLXXIX. Theol. MDCLXXXIX d. v. Oct. & & A:o MDCXCII d. II. Martii. Paſtor deſignatus Orebroënſ. Demum Epiſc. Stregn. Obiit MDCCXVII. Amœnum Viro huic Celeberrimo & promtum fuit ingenium, neque minus ſocco aptum, quam cothurnis. *Lessus* enim ejus in Reginam ELEONORAM, quam gravis? Quam elegans etiam ille, quem inferiis conſecravit CAROLI XI? Taceo *Epicedia* alia & *Epigrammata* perplurima, contentus breve illud adponere *carmen*, quo iter ſeptentrionale CAROLI XI, quo in urbe *Torneo* menſe Junio MDCXCIV. ex ſpecula ſolem tota nocte lucentem, curioſe obſervabat, ita celebravit:

Rex CAROLUS terras, quas Circulus Arcticus ambit,
Dum peragrat, proprias atque tuetur opes,
Miratur parere suis latissima sceptris,
Sol ubi continuo lampade lustrat humum.
Hactenus & nostris hac sensibus invia, Princeps
Nullus, ait, Phœbum vidit inoccidaum.
Substitit in votis Alphonſi *gloria: Iberus*
Cur se perpetuo lumine jactat iners?
Sobrietas, *sed enim* pietas, vigilantia, cura
Sufficiunt nobis munera tanta Dei.

§. XIX.

OLAUS HERMELIN Vermelandus. Natus Philipſtadiæ Patre NIC. HAQUINI SKRAGGE urbis ejus conſule; Cogno-

Cognomen autem HERMELIN in prima juventute adoptatum; retinuit nobilitatus A:o MDCCIII. Eluxit vero in Viro hoc laudatiſſimo, immo noſtras longe ſuperante laudes, ab ipſa ſtatim juventute ſingularis in Poëtica ſtudia propenſio, unde etiam ad Eloq. & Poëſ. Profeſſionem in Acad. Livon. Dorpatenſi MDCCIII vocatus fuit, eamque ſummo cum adplauſu obivit: Poſtea tamen in cathedram Juridicam ibidem translatus; Inde Hiſtoriographus & Secretarius Regius MDCXCIX tandem Secretarius ſtatus & Cancellariæ Regiæ Conſiliarius MDCCV factus. Occubuit demum, uti creditur, in clade Suecis funeſta ad Pultaviam A:o MDCCIX, tum demum a latere *Glorioſiſſimi* REGIS ſui avulſus. In omni ſcientiarum genere Vir hic *Illuſtris* verſatiſſimus erat, in Poëſin vero tum latinam, tum etiam Svecanam tanto ſtudio ferebatur, ut inter medios armorum ſtrepitus maximamque negotiorum molem, Muſis tamen vacaverit. Oculis noſtris etiamnum obverſantur carmina ejus varia occaſione fuſa, vere terſa & ad veterum Poëtarum nitorem adſurgentia. Unicum jam ſiſtamus ſpeciminis loco, quod cecinit ad tumulum *Fortiſſimorum Equitum Gothicorum,* qui ductu HUMMERHIELMII prope *Dorſiniam* in *Lithuania* hoſtium fraudibus circumventi occubuerunt, quorum corpora, cum e duobus tumulis ad viam, Tropæi inſtar congeſtis, erui paulo poſt juſſiſſet Rex Sveciæ, ut decentius ſepelirentur, eodem die magna pars *Oppiduli* fortuito incendio conflagravit A:o MDCCII d. XXXI Martii:

Vidit ut immerſos tenui Mars forte ſepulcro,
Sarmatico nuper qui cecidere dolo.
Indignatus erat tam fortia corda Gothorum

Caraque supremis celebrat dum funera donis,
Concepit meritas Dorsina *sponte faces.*
Dorsina *nempe sibi funestæ conscia cladis,*
Hac voluit flamma triste piare scelus.

In eandem urbem, incendio deinde cura Clementiss. Regis liberatam, hanc quoque fudit *Elegiam*:

Quam miranda fuit Gothici *clementiâ* Regis,
Dorsina *testari tempus in omne potest.*
Illa quod adjuvit fœdam temeraria cladem,
Centeni nuper qua cecidere viri:
In tenues meruit redigi damnata favillas,
Ut daret inferias manibus usta piis.
Cum cæpit subito tamen exardescere casu,
Stramineasque vorat lucida flamma casas,
REX vetat ultorem grassari longius ignem,
Cumque faces posset subdere, subdit aquam.

Plura videri poterunt in *Prodromo* Deliciarum Suecorum Poëtarum, ubi HERMELINI carmina haud pauca comparent, quibus addi *a*) possent, præter jam recitata, quæ cecinit in CAROLUM XII. Saxonum ad Pultaviam victorem & in EUNDEM de capta *Leopoli*; In *Toruniam* captam; ad *Vabissam* amnem de strage Moscorum prope *Holossin*; In *Illustriss.* Dn. ERICUM LINDSCHIöLDIUM, cum *Gubernator* CAROLI XII. renunciatus esset, & alias sæpe; ad Cardinalem Primatem Poloniæ varia; de liberatione Urbis Rigæ; In nuptias Prof. PETRI LAGERLöFVII & ELISAB. BROMAN, & plura alia. Commemorat etiam Prof. Hallensis Cel. JUSTUS CHRISTOPHORUS BOEHMER in Præf. ad HERMANNI CONRINGII *Musas errantes*, Elegiam ejus *de incommodis vitæ castrensis* ad HORTENSIUM MAURUM, magnum illud Italorum decus perscriptam, eamque elegantissimam vocat.

CAP. POST.

a) *Demi vero debet, quod in sæpius laudato* Prodromo *p. 28. adparet* Epicedium *in Manes HEDVIG: DELAGARDIE, utpote quod Auctorem agnoscit Præfect. jam Upl. Generosiss. D. Bar. JOH. BRAUNERUM.*

